Propædeumata Aphoristica

IOANNIS DEE, LONDINENSIS,

De Præstantioribus quibusdam

Naturæ Virtutibus.

Liber Nicolai Grave.

SVPERCAELESTES RORETIS AQVAE. ET TERRA FRVCTVM DABIT SVVM.



IN TERNARIO CONQVIESCENS.

Londini.

Anno. M.D.LXVIII.

Typographus Lectori.

Habes hic Candide Lector, hanc secundam istorum Aphorismorum aditionem, longè emendatissimam, ex ipsius Authoris autographo, accuratissimè impressam. Illa enim quæ Anno 1558 emissa erat, magna Typographi incuria, permultis claudicabat locis,ueluti tu ipse, ex diligenti nostrorum laborum collatione, facillimè iudicare possis. His igitur utaris, fruarisq́. Vale.

Anno à partu Virgineo 1567 Mense Decembri, Londini.

Clarissimo viro D. Gerardo

MERCATORI, RUPELMUNDANO,

Philosopho & Mathematico

illustri, ac amico suo lon-

gè charissimo,

IOANNES DEE, LONDINENSIS,

S. D. P.



NDecimus iam agitur annus (humanissime, doctissimeque, mi Gerarde) ab illo, quo nostris ego relictis Academijs, omnibusque nostrarum scholarum, in artium septem (liberalium dictarũ) professione, percursis ordinibus: sine subere (vt in prouerbio est) nare, & in Regiones transmarinas cœperam peregrinari, ad ipsos inuestigandos fontes, à quibus hac nostra ætate, plurimi ad nos optimarum quarumque Artium deducebantur canaliculi: & cum illis vitam ducere familiarem, quorum uel leuissimus quisque vnius diei in scribendo, labor, nobis antea domi desidentibus, per anni ferè unius spatium, satis (ad intelligendum) faceret negotij. Atque in isto primæ meæ peregrinationis incohoato cursu, quoniam in te, primùm omnium, Louanij tum agentem, incidere, maximo mihi summi Numinis obtigit fauore: & ex tuis mecum disceptationibus, tum primas tum altissimas ut radices ageret tota mea pe-

regrina philosophandi ratio: Nunc proinde ego esse æquum censeo, rationiq́ maximè consentaneum, ut iam primò peregrinantes, laborum etiam tu meorum primitias, iure tibi uendices meritissimo. Et maximè, cum mutuæ nostræ amicitiæ, familiaritatisq́ consuetudo ea erat, toto ut triennio, uix totos tres simul dies, alter alterius lubens careret aspectu: & ea vtriusque nostrûm discendi, philosophandiq́ auiditas, ut postquam conueniremus, tribus uix horæ minutis, ab arduarum & utilissimarũ rerum indagatione abstineremus. An non huius nostræ tam sinceræ amicitiæ, & tam suauiter continuatæ philosophandi rationis, gratia, aliquod saltem συνταγμα, uel monumentum, sempiternæ hominum memoriæ commendare debuimus: ut inde suauissimum illud amicitiæ uinculum, quo nostri in perpetuum copulantur animi, suis quoque nectere disputationibus, postera studiosorum excitetur ætas? Et non alter alterius uel contemnere studia, uel eruditioni inuidere: capita sed simul conferre, ad ueri inquisitionem & utilissimas amplificandum disciplinas. Atque ut hanc potissimum materiam, hoc tempore mihi tractandam, eligerem: penultimæ tuæ ad me literæ, in quibus, de nobili illa, inter nos olim agitata, controuersia, memoriam mihi uelle refricare, uidebaris, occasionem dedêre. Nec in istius enodatione, seu potius demonstratione, longiorem me nunc esse, uel ualetudo, quæ

quæ iam per integrum annum periculosißimè labefactata fuit (etiam si uoluissem maximè) tolerauit: uel ipsa, de Cœlestium corporum uirtute, Disciplina, desiderare uidetur. Ex his enim quæ in medium attulimus, tum ad infinitos particulares, in Arte casus, Apodicticè procedendi haberi facultas potest: tum ipsa præterea disciplinæ præcipua, in his sunt iacta, confirmataq; fundamenta: unde de alijs eius Artis quid sit statuendum præceptis, industrio facilè constabit artifici. Non tamen infinitas multorum & ἀνατιολογήτας probo nugas, uel futilia decreta: quæ nec ipsi talium scriptores, rationum stabilire momentis poßint, nec ullus unquam alius, à Naturæ uiribus talia proficisci, obseruando intelligere. Tu ergo qui NATVRAE obseruātißimus esse Cultor soles: NATVRAE, in istis Aphorismis, scrutare uirtutes ueras, uirtutes magnas, uirtutes paucis uix credibiles Sapientibus, at paucißimis notas. Et ne τῶν ἀμυητωντὶσ, suo sibi malo, ea hinc expiscari, elicereue contendat, quæ illi non sunt scripta, tu cum RECEPERIS, edicas publicè. Atq; hæc hactenus. Cum autem in literis tuis ad me, ferè omnibus, quid ipse præ manibus habeam, à me scire, soles contendere: & in illis certe, quas ante nominaui, penultimis mecum egisti maximè, ut magnum illud opus meum Apodicticum, de Arte noua (ut tu uocas) quàm primùm uel in lucem darem, uel eius te

ut participem facerem: me Scias, præter periculosissimum, quo toto iam proximè elapso anno laboraui, morbum, alia etiam multa (ab illis, qui. &c.) esse perpessũ incommoda, quæ mea studia plurimùm retardauere: uiresque etiam meas, nondum posse tantum sustinere studij laborisq́; onus, quantum illud, Herculeum penè (ut perficiatur) requiret opus. Vnde si mea haud queat opera uel absolui, uel emitti, dũ ipse sim superstes, Viro illud legaui eruditissimo, grauissimoq́; qui Artium Mathematicarum unicum nobis est relictum & decus & columen: nimirum D. D. Petro Nonio Salaciensi: Illúmque obnixè nuper oraui, ut, si quando posthumum, ad illum deferetur hoc meum opus, benignè humanitérque sibi adoptet, modisque omnibus, tanquam suo, utatur: absoluere denique, limare, ac ad publicam Philosophantium utilitatem perpolire, ita dignetur, ac si suum esset maximè. Et non dubito, quin ipse (si per uitam ualetudinémque illi erit integrũ) uoti me faciet compotem: cùm & me tam amet fideliter, & in artes, Christianæ Reip. summè necessarias, gnauiter incumbere, sit illi à natura insitum: uoluntate, industria, usuque confirmatum. Tuis igitur uotis, de laborum meorum euulgandis monumentis, nondum me posse satisfacere, licet iam clarè satis docui, Si tuæ tamen petitioni de scriptorum meorum habendo Catalogo, non responderem, meritò me maximæ damnares ingratitudinis. En tibi ergo eorum Titulos, quæ

per

per medias meas, maximásque difficultates, ita à me mihi composita, scriptáque extant, ut eadem (cum uiribus ualeam corporis, dulcique fruar ocio) in publicum producere (non mihi tantùm esse cognita) exoptem maximè.

Περὶ Ἀκριβολογίας τῶν Μαθηματικῶν. opus mathematicè demonstratum. lib. 16.

2 De Planetarum, Inerrantium stellarum, Nubiumq́ à centro terræ distantiis: & stellarum omnium veris inueniendis magnitudinibus. lib. 2. demonst.

3 De Speculis comburentibus. lib. 5. demonst.

4 De perspectiua illa qua peritissimi illustrissimiq; vtuntur pictores. lib. 2. demonst.

5 De tertia & præcipua Perspectiuæ parte, quæ de radiorum fractione tractat. lib. 3. demonst.

6 De Cœlestis Globi amplissimis commoditatibus. lib. 2.

7 Speculum vnitatis: siue Apologia pro Fratre Rogerio Bachone Anglo, in qua docetur, nihil illum per Dæmoniorum auxilia fecisse, sed Philosophum fuisse maximum: naturaliterq;, & modis homini Christiano licitis, maximas fecisse res: quas, indoctũ solet vulg⁹ in Dæmoniorum referre facinora. lib. 1.

8 De noua Nauigationum ratione. lib. 2.

9 De Anuli Astronomici multiplici vsu, capita centũ. liber vnus.

10 De Itinere subterraneo. liber vnus.

11 De Trigono Circinoq́ Analogico. lib. 3.

Aliorum adhuc tacebo nomina: qui tamen ante istorum quosdam (annuente Deo) publica frui luce possint. Hoc autem opusculum, (numero duodecimum) leui munitum armatura, tanquam Exploratorem, in uarias emitto regiones: ut uera mihi doctorum proborum

rumq; hominum referat iudicia, uotaq; haec à me tanta tractari, lucique promitti argumenta. Vt ex istius Exploratoris relatione, mecum & doctis cum amicis, rationem ineam, num istas meas (qualescunque) copias, in peregrinos actûtum producere campos, uel domi, adhuc diligentius, in militari educare disciplina, debeam. Iam restat ut te maximè orem, egregia tua Inuenta, tam in excellentissima illa Philosophiae parte, quae Physica uocatur, quàm in geometricis, & geographicis rebus, publicis (quàm primùm queas) ut committas hominũ studijs: sic enim Rempub. literariam (de qua annos ante multos, multis magnisq; tuis laboribus, es optime meritus) istis utilissimis tuis, nouisque Inuentis, eximiè profecto amplificabis. Valeas: Coeptisque tuis pulcherrimis, Deus Opt. Max. exitus largiatur foelicissimos. Iterum Vale.

Londini, anno à nostro nato Redemptore 1558, Iulij. 20.

Lectori

Philosophiae sincerioris studioso,

IOANNES DEE LONDINENSIS

S. D. P.



APHORISMOS EN TIBI NOSTROS, secunda iam emittimus consultatione: Numero eorundem, Ordine, vel Materia, haud mutatis quicquam. Aphorismos, eosdem ego quidem, Prouectioribus esse scio: At in multarum magnarumq; Scientiarum cognitione non adeò progreßis, longiusculos profectò, difficilesq; libros. Ex Communi, tritâue philosophandi via, qui hûc (Miser) diuerterit, Labyrintheum esse diuersorium, actûtum exclamabit. Quodcunq; enim egregium, in Antiquorum vel Verorum quorumcunq; philosophorum experientia Theoriâue fuisse aliquando positum, vel legendo, vel meditando, vel periclitando, vel peregrinando, ipsemet intelligere, excogitare, inuenire, audire, videreq; olim potui, Id omne, vel SELECTISSIMA QVAEQVE potius, IN CORPVS VNVM SOLIDVM ἁρμονικῶς CONGLOBATA, tuis hic commisi studijs. Et praeter omnium Maiorum nostrorum Inuenta praeclarißima, quàm Mirificis, Honorificisq; ornamentis hoc sit consertum Σύνταγμα, frequenti si tu perquiras lectione (accuratius quaeq; pensitando) certißimè conspicies. Sed tamen quae ego veritatis illustrandae, amplificandaeq; stimulatus desiderio (quò soli tibi essent plenißimè perspecta) neruos mei contenderim ingenioli, tu noli indignis profanisq; manifesta reddere: ne & tibi & mihi tùm dedecori, tùm damno vertatur maximo. Vale amice: Manibusq; bene precator meis.

Ex Musaeo nostro Mortlacensi,
Anno 1567. Decemb. 24.

Ioannis Dee Londinensis, de præstantioribus quibusdam NATVRAE Virtutibus προπαιδεύματα ἀφοριστικά.

Aphorismus 1.

VT DEVS, EX NIHILO, ~~CONTRA~~ PRÆTER rationis & naturæ leges, cũcta creauit: ita in Nihilum abire, rerum creatarum aliqua nunquam potest, nisi ~~contra~~ præter rationis Naturæq; leges, per Supranaturalem Dei potentiam fiat.

2.

MIrabiles ergo rerum naturalium Metamorphoses fieri à nobis, in rei veritate possent, si artificiosè Naturam ex pyronomiæ Institutis vrgeremus. Naturam autem ego dico, Rem Creatam quamcunq;.

3.

NOn solum ea Esse asserendum est, quæ Actu in rerum natura sunt conspicua, notáq;: Sed & illa quoq; quæ quasi Seminaliter, in naturæ latebris, INVOLVCRIS Extare, Sapientes docere possunt.

4.

QVicquid Actu existit, Radios orbiculariter eiaculatur in singulas mũdi partes, qui vniuersum mundum suo modo replent. Vnde omnis locus mundi radios continet omnium

rerum

rerum in eo Actu existentium.

5.

TAm Substantia quàm Accidens, suam à se Speciem exerunt: Sed Substantia omnis, excellentius multò quàm accidens. Et Substantiarum quidem, illa quæ incorporea & spiritalis est, (vel quæ Spiritalis facta est) in hoc munere longè superat illam quæ est corporea, ac ex fluxis coagmentata elemẽtis. Licet quantò res sunt nobiliores, tantò incompletiorem suam Speciem faciant; Species enim completa, idem obtinebit nomen cum principali agente.

VI.

SIcut vna res differt ab alia, ita & earundem radij differunt in efficiendi virtute, & effectus conditione, dum circa eandem omnino rem operantur.

VII.

RAdiorum quorumcunq; ab vna re in diuersas emanantium, diuersi sunt effectus.

8.

QVicquid in aliud agit, simile quodam modo est, at alio quidem modo dissimile prorsus illi est in quod agit, aut nulla est actio.

9.

QVicquid in mundo est, ad aliud quid ordinem, conuenientiam, & conformitatem habet.

X.

QVæcunq; res sunt sibi mutuo coordinatę, cõueniętes, vel conformatæ, vna aliam tũ sponte imitatur sua, tum etiam aliquãdo vna ad aliam localiter accurrit: vnaq; aliam (quantum potest) tuetur & munit, etiamsi interea vis sibi inferri videretur. Per harum ergo rerum naturalium (modis varijs) in mundo Separatim existentium, Vnionem: & aliarum Seminaliter tãtum prius in Natura positarum, Actuationem, miranda magis, verè, naturaliterq;, (nec violata in Deum fide, neq; Christiana læsa religione) pręstari possunt, quàm quis mortalis, credere queat.

XI.

MVndus iste totus est quasi lyra, ab excellentissimo quodam artifice concinnata: cuius chordæ, sunt huius vniuersitatis Species singulæ, quas qui dextrè tangere pulsareq; nouerit, mirabiles ille eliciet harmonias. Homo autem, per se, Mundanæ isti Lyræ, omnino est Analogus.

XII.

SIcut lyra, constitutio quædam est tonorum consonãtium atq; dissonantium, aptissima tamen ad suauissimam & infinita varietate mirabilem exprimendam harmoniam: Sic Mundus iste partes intra se complectitur, inter quas arctissima conspiciatur Sympathia: alias autem inter quas dissidium acre, atq; Antipathia notabilis: ita tamen, vt tum illarum conspiratio mutua,

tum

tum istarum lis atq; dissensio, ad Totius consensionem atq; Unionem admirãdam egregiè faciat.

XIII.

SEnsus nostri, non sunt sensibilium radiorum à rebus effluentium causæ, sed testes.

XIIII.

SPecies non solum spiritales, sed etiam aliæ naturales à rebus effluunt, tum per Lumen, tum sine lumine: non ad visum solũ, sed ad alios interdum sensus, & pręcipuè in Spiritu nostro imaginali, tanquam Speculo quodam coalescunt, seseq; nobis ostendunt, & in nobis mirabilia agũt.

15.

NVllus Motus perfectior orbiculari, Nec vlla forma humanis exposita sensibus, LVCE est vel prior vel præstantior. Corporum igitur præstantissimorum & perfectissimorum, hæc duo maximè propria erunt.

16.

QVicquid in mundo est, continuè mouetur aliqua motus Specie.

17.

PRo ratione motuũ primorum, qui sunt cœlestium corporum maximè proprij, cæteri inferiorum motus omnes naturales & excitãtur & ordinantur. Mouentur autem ipsa Cœlestia aliquando sursum, aliquando deorsum: in anteriorem aliquando partem, aliquando in posteriorem

riorem, aliquando verſus vnum Mundi, vel Eclipticæ polum, aliquando verſus alterum.

18.

IN ſingulis quatuor, Maioris Mundi magnis Matricibus, ſunt tres diuerſę partes; ſimul tamē concretę, conformatæꝗ, & iuſtis ſuis contemperatæ ponderibus: quas iam Notariacè Ȧ Ȯ Ṡ, ſiue Ȯ Ṡ Ȧ, ſiue Ṡ Ȯ Ȧ appellare libet (Sic me enim Pyrologi intelligunt) Harum Trium proprietates effectusꝗ naturales tum principales tum ſecūdarios tum etiam tertios, quàm potes exactiſſimè diſcas: Modumꝗ reducendi tertios ad ſecundos, & ſecundos ad primos: Itidem tibi eſt ſummopere examinandum, quibus caſibus, eadem pars, diuerſorum, immò contrariorum nōnunquam effectuum eſſe cauſa poſſit.

19.

SI duo, tria, vel quatuor Elemēta, & in quacūꝗ quantitate commiſceantur, vt de compoſiti illius vera natura, Complexione ſiue Temperamento fias certior, per artem quandam, Graduationum dictam, tibi eſt elaborandum.

20.

EX qua elementorum proportione, ſingulæ humani Corporis partes, humores, & ſpiritus conſtent (quàm propè fieri poteſt) Aſtrologo eſt peruidendum. In alijs etiam rebus naturalibus idem experiri, atꝗ intelligere eſt ſummè neceſſarium.

necessarium, & valde iucundum.

21.

SEmen quodque in se potentia habet generationis cuiusque integrum & constãtem ordinem: eo quidem modo explicandum, quo & concipientis loci natura, & Circumfusi coeli superuenientes vires, cooperando conspirant.

22.

SIcut primi motus priuilegiũ est, vt sine eo torpeant omnes reliqui, sic primæ & præcipuæ Formæ sensibilis, (nimirum LVCIS) ea est facultas, vt sine ea cæteræ formæ omnes agere nihil possint.

XXIII.

OΤι αἱ διάνοιαι ἕπονται τοῖς σώμασι καὶ οὐκ εἰσὶν αὐται μεθ᾽ ἑαυτὰς ἀπαθεῖς οὖσαι τῶν τοῦ σώματος κινήσεων, quis philosophorum non decantat? quis mortalium nõ in seipso id ferè quotidie experitur? Vt etiam & τοῖς τῆς ψυχῆς παθήμασι τὸ σῶμα σύμπαχον γίνεσθαι. Vnde Medicus per corpus sanat animam atque temperat. Musicus autem per animam, corpori medetur & imperat. Qui ergo quàmplurimis modis tũ medici tũ musici poterit supplere munus, is hominum & corpora & animos pro sua ferè gubernaret voluntate. Verum hoc est à modestius philosophantibus, mysterij cuiusdam instar tractandum.

XXIIII.

ILla Deus in Magnete proposuit oculis mortalium spectanda, qualia aliis in rebus subtiliori mẽtis indagini, & sedulitati experiendi maiori, inuenienda reliquit. Ego tibi vim eius attractiuã primò, deinde expulsiuam, repulsiuam, siue abactiuam, tertiò cœlestis certiq; cuiusdam situs appetitionem, Et quartò per solida corpora radios suos essentiales traiiciendi potentiam, nũc solùm in mentem redigo: aliâs alia eiusdem Philosophici lapidis, quasi miracula (diuino fauente Numine) explicaturus.

XXV.

DVplices sunt stellarum omnium radij: alij sensibiles siue luminosi, alij, Secretiores sũt Influentiæ. Hi omnia quæ in hoc mundo continẽtur, puncto quasi temporis penetrant: illi ne adeò penetrẽt, quodam modo impediri possunt.

XXVI.

STellę & vires cœlestes, sunt instar Sigillorum, quorum characteres pro varietate materiæ elementaris, variè imprimuntur. Quemadmodũ & nostrorum sigillorum insculptæ formæ, facilius in vnam materiam quàm in aliam imprimuntur: elegantius in vna, quàm in alia: & tenacius in vna quàm in alia hærent: & in quibusdam ad quandam quasi perpetuitatem. Hinc Gamaæas considerabis attentius, aliaq; maiora.

XXVII.

TAm ſolida quâm diaphana cuncta, quę intra mundi ambitum exiſtunt, penetrandi vis, cœleſtium radiorum maximè propria, magnam illis influendi, ſiue ſuas imprimendi vires facilitatem ineſſe demonſtrat. Vt autem cum elegantia quadam, deinde cum tenacitate, vel ad infinitum fere tempus retineatur immiſſa virtus, id ex materiæ in quam influitur diſpoſitione naturali vel pręparatione artificioſa, tam in viſibili forma quàm in elementaribus qualitatibus & alijs, prouenire debet.

28.

PRimū mobile eſt inſtar ſpeculi ſphærici cōcaui, cuius qualemcūq; ſoliditatem nullus ſtellarū radius ſenſibilis penetrare poteſt: cùm etiam nullus eſſet talis penetrationis vſus apud ſuperos; ſunt & aliæ perplures demonſtrationes.

XXIX.

QVaſcunq; vires per ſenſibiles radios, ſtellę efficiendo exercent, non ſolum directis, ſed etiam fractis & reflexis illis radijs, tales ſuas vires ad effectus oportunos promouere poſſunt.

XXX.

MAgnitudines verę non ſolùm terreſtris globi, ſed & planetarum fixarumq; omnium ſtellarum, aſtrologo debent eſſe notæ.

XXXI.

DIstantiæ veræ tam fixarum, quâm singulorũ planetarum à centro terræ, quocunq; proposito tempore, astrologo constare debent: sicut & nubium, siue crassioris aëris, variæ à terra altitudines.

XXXII.

QVibus terrę locis, quæcunq; stella siue fixa siue erratica quocunq; dato tempore perpendiculariter immineat: & quantum incidentię directæ angulum, cum omnibus alijs locis, supra quorum horizontes, eadem stella, eodem temporis momento eleuatur, efficiat, cum primis est cognitu necessarium.

XXXIII.

SEnsibilem omnem radium, à stellæ alicuius corpore ad punctum aliud quodcunq; externum emanantem, ac cum eiusdem stellæ conuexa superficie æquales vndiq; efficientem angulos, circũstat conus rectus, radiosus, sensibilisq;: cuius Axis, ipse dictus radius erit: Vertex verò, punctum illud externum: Basis denique, conuexæ superficiei ipsius stellæ ea portio luminosa quæ dicto vertici est proxima, terminaturq; per circuli circumferentiam, ab illo termino lineæ rectæ (à dicto vertice ad stellam ductæ) qui ipsam stellam contingit tantùm, descriptam.

XXXIIII.

RAdiorum à basi luminosa alicuius stellæ, ad aliquod externum punctum effluentium, Axis est fortissimus: & reliquorum, quò ipsi axi fuerint propinquiores, eò erunt remotioribus, fortiores, respectu dicti pũcti. De radijs ex profunditate stellicorum corporum egredientibus, alius nobis erit dicendi locus.

XXXV.

A Stellis terra minoribus, sensibiles cuncti qui exeunt radij directi ad terrenę conuexitatis, quantam maximam possunt portionem, ab ipsarum conuexarum superficierum (quę tales stellas ambiunt) portionibus veniunt, quæ sunt dimidijs maiores. Et quò terræ propiores fuerint, eò à maioribus illis portionibus, radios suos directos terræ communicant: Nunquam tamen terrenę conuexitatis dimidium suis illis sensibilibus radijs attingere queunt, sed portionem, eiusdem dimidio minorem.

XXXVI.

OMnes stellæ terra maiores, plus quàm dimidium terrenæ conuexitatis, omni tempore suis sensibilibus & directis radijs illustrant: Semper etiam à suæ conuexæ superficiei portione dimidio minore, illos terræ impertiunt radios. Et quò terrę propinquiores fuerint, eò à minore tali

 portione

portione radios illos directos ad terrã demittũt.

XXXVII.

OMnes stellę terra minores, quanto terrę propinquiores fuerint, tãto fortiores, eidem sui Luminis radios infundunt: licet minorem eiusdem portionem sensibilibus illis suis directisque radijs afficiant, quàm quãdo sunt remotæ magis.

XXXVIII.

OMnes stellæ terra maiores, quãto terræ viciniores fuerint, tanto fortiores illi suos imprimũt radios: & terræ etiam maiorem portionem sensibilibus istis suis, directisque radijs illuminãt, quàm quando longiori sunt semotæ interuallo.

XXXIX.

PErpendendę tibi sunt cum summa diligentia Terræ & stellarum quarumcunque tum terra maiorum, tum terra minorum, portiones illæ Superficiales, Sphæricę conuexitatis, in stellis quidem luminosę, at in terra ab ipsis luminosis illuminatę, quæ pro varijs stellarum à terra interuallis, diuersarum fiunt quantitatum. Et tam in terra quàm in stellis terminantur per terminos superficiei conicæ curtę, à linea recta, tum ipsam terram, tum ipsarum stellarum corpora contingente, descriptę. Atque de his portionibus egimus propositionibus. 35. 36. 37. & . 38.

XL.

XL.

AD quodcunque punctum totius mundi venit alicuius stellæ conus rectus, radiosus, sensibilisque, eiusdem coni basis, minor quidem semper erit, quàm dimidium conuexæ superficiei ipsius stellæ, cuius ille fuerit conus. Videant ergo astronomi, qua ratione stellarũ metiantur diametros.

XLI.

QVanto eadem stella ab aliquo puncto totius mundi remotior fuerit, tanto sui radiosi coni recti sensibilisque basis, maior euadit, & quãto Propinquior, tanto minor.

XLII.

EXaminãda tibi erit quãtitas huius basis conicę, in omni positu cuiusque stellę, respectu vnius alicuius puncti, vbicunque illud punctũ statuatur.

XLIII.

EIusdem stellę Coni recti luminosi longiores, sunt ipsis breuioribus, quibusdam de causis fortiores: at alias ob causas, lõgè debiliores: fortiores quidem eò videri possunt, tùm quod eorũ bases luminosæ, maiores sunt, tùm quia anguli ad verticem, minores fiant. Ex his duabus causis simul iunctis, hæc nascitur ratio: Quòd in longioribus conis, copiosiores radij, non incidentes solùm sed etiam reflexi, magis vniũtur: vnde ma-

ior vis circa talem verticem exercetur. Sed naturaliter & simpliciter, propinquitas agentis ad id in quod agit, breuiores conos, fortiores efficit.

XLIIII.

QVantitatem illius conuexæ superficiei Lunaris, quæ quocunq; dato tempore, nobis illuminata conuertitur, accuratè elicias.

XLV.

HOrizontem nostrum verum, illum appellamus circulum, qui circumductu eius lineæ describitur, cuius quiescens terminus in Mundi centro fuerit, alter verò in summo statuatur cœlo: ita vt à nostro vertice in huius circuli centrũ demissa recta linea, eidem circulo perpendicularis existat. At Sensibilem nostrum Horizontem, alibi demonstrauimus esse illam terrestris sphæræ conuexam portionem, quæ (omnibus super terræ vniformem conuexitatem, remotis impedimentis) nobis est conspicua tota: terminaturq; per circuli circumferentiam, ab illo termino lineæ rectæ (ab oculo nostro ad terrę contactum ductæ) qui ipsam terram contingit, descriptam. Hancq; portionem aliquãdo maiorem, aliquando minorem à nobis posse conspici, pro varia nostrę altitudinis ratione supra vniformem terreni globi conuexitatem, ibidem docuimus. Ex hac quidem consideratione plurima pendẽt, quæ tũ in Optica, tum in Astrologia, tum in Magia,

gia, magni esse momẽti, experientes percipient.

πόρισμα

Quæcunq; igitur duo cœli puncta ex diametro sunt opposita, vnoquoq; temporis momento in infinitis extant veris Horizontibus: Sed quæcunq; duo cœli puncta, minus Semicirculo distiterint, in vnico tantùm haberi possunt Horizonte vero, eodem temporis articulo.

XLVI.

OMnes stellę maiores terra, ab aliqua sui portione radios sensibiles directos, ad nos mittere possunt, antequam earundem centra ad nostrum verum horizontẽ oriendo peruenerint: Atque ratione eadem, in occasu, sub ipso vero horizonte depressis earundem centris, nos tamen illuminare suis directis radijs possunt.

XLVII.

OMnes stellæ, cum in horizonte vero alicuius loci terrestris fuerint, plus in recta linea, ab illo loco distant, quàm cùm supra illius loci horizontem sunt eleuatæ: siue vno eodémque die, siue quibuscunque diuersis: modò eiusdem stellę, in illis varijs temporibus, æqualis fuerit distantia à centro terræ. Alióqui enim Sol in Capricorni principio oriens, longè nobis propinquior est, quàm quorum imminet capitibus, in Cancro versans: & hoc propter suæ eccentricitatis

magnitudinem: quæ etiam mutabilis est.

XLVIII.

SOlem infra nostrum verum horizontem existentem, accidentarij sui luminis radios ad nos ab aëre procurare, Crepusculinę eius Luces demonstrāt: Tres igitur Superiores & fixarum plurimæ, cum magis sub horizonte latent, quàm ipse Sol, in Crepusculi matutini principio, vel vespertini fine, nobis, sui accidentarij Luminis virtutem, (licet per se non tam sensibilem quàm Solis) communicabunt, instar quorundam suorū crepusculorum. Planetas etiam Sole inferiores hoc modò considerandos moneo. Fitq; hoc (vt dixi) non per principalem aliquem radium, scilicet vel directum fractum vel reflexum) sed per Speciei Speciem, vt ὀπτικῆς & κατοπτρικῆς periti vulgariter loquuntur philosophi. Qua ratione Solaria Crepuscula inæqualia fiant, vide: & de aliorum planetarum Crepusculis (vti nos nunc illa appellamus) simili perquiras methodo.

XLIX.

QVa ratione stellæ fixę & singuli planetę, tam infra horizontem, quàm alibi constituti, ad nos vel alia terræ loca, radios sui luminis, non ab ipso cœlo solum, sed aëre, nubibus, aqua, mōtibus, & similibus corporibus reflectāt, perscrutare: radiorumq; cœlestium fractiones multiplices

πόρισμα.

HInc obscuræ, debiles, & quasi Latentes rerum Virtutes, arte Catoptrica multiplicatæ, sensibus fient nostris manifestissimæ. Vnde non in stellarum solùm, sed aliarum quoq; rerū proprijs examinādis viribus, quas per Sensibiles exercent radios, diligens Arcanorum Inuestigator, maximum sibi oblatum auxilium habet.

LIII.

SI quid vel Solis lumen per Lunam efficiat, vel quid ipsa ex se sola, nullis imbuta SOLIS radijs sensibilibus præstare possit, cognoscere quis cupiat: ex plenilunio, & Lunæ eclipsi totali cum mora, artificio catoptrico, elicere potest. Vt ad alia autem, eūdem traducat experiendi modum, non opus est vt moneam.

LIIII.

QVò magis ad perpendicularitatem super aliquam elementarem superficiem accedit axis radiosus alicuius stellæ, eò fortius circa talem suæ incidentię locum, suas vires illa stella imprimet: directo quidem modo, propter maiorem agētis vicinitatem: reflexo autem, quia reflexi tales radij, ad incidentes, vicinius conduplicantur. Eccentricitatis ratio, in diuersis zodiaci locis, planetas propiores nobis exhibere potest, cum acutissimus prorsus erit incidentiæ angulus cum nostro

ces attende in aëre, nubibus, & aquis: Et infinitam Dei bonitatem Sapientiamq; admirari & laudare cogeris.

L.

VT Stella quælibet proprium habet nomen ex ipsius Dei impositione, Sic & naturam in se habet virtutemq; propriam, qualis in nulla alia, eadem omnino inueniri potest.

LI.

AD quodlibet totius mundi punctum, & quolibet temporis momento, ab omnibus stellis fixis & planetis fit talis radiorum cōcursus, qualis, ex omni parte similis, ad nullū aliud punctum, nec vllo alio tempore, naturaliter cōstitui potest.

LII.

Κατοπτρικῆς si fueris peritus, cuiuscunq; Stellæ radios in quamcunq; propositam materiam fortius tu multo per artem imprimere potes, quam ipsa per se Natura facit. Hæc quidem Antiquorum Sapientum multo maxima naturalis Magiæ pars erat: Et est Arcanum hoc, non minoris multo dignitatis, quàm ipsa augustissima philosophorum ASTRONOMIA, INFERIOR nuncupata: cuius Insignia, in quadam inclusa MONADE, ac ex nostris Theorijs desumpta, tibi vnà cum isto libello mittimus.

Ista Insignia fusissime habes explicata, in nostro nuper emisso libello, Cui est Titulus MONAS Hieroglyphica.

stro vero horizonte, vel alia superficie. At nos, & supra de hac re diximus: & nunc significamus, in æqualibus à centro terræ distātijs, generalem hunc nos enuntiare aphorismū: esse tamen tum vtilissimum, tum iucundissimum considerare exceptionis huius rationem, in varijs eccentricorum circulorum locis.

LV.

QVò stellæ eiusdem Mora, supra horizontem maior fuerit, eò ad suæ virtutis fortiorem faciendam impressionem, per directos suos radios, est accomodatior.

LVI.

EX horum tantum trium diuersa contemperatione, scilicet Vicinitatis, Anguli incidentiæ, & Moræ, ô quàm multiplex consurgit ratio pro viribus eiusdem stellæ exercendis, supra alicuius loci horizontem.

LVII.

MOmentaneus quilibet cœli status, tum effectus suos metit infinitos, tum in aliorum euentuū Semina (cōgruis maturanda constellationibus) vires intendit ac imprimit efficaces.

LVIII.

OMnium cœlestium motuum, ille velocissimus est, quem, versus occasum, semper, vigin-

ti quatuor æqualium horarum spatio, æquatoris conficit peripheria: atque hunc, Diurnum Totius motum vulgariter vocant.

LIX.

QVò æquatori sunt propiores paralleli circuli, eò citatiore motu versus occasum, illorum circumferentiæ, æquatoris sequuntur motum.

LX.

QVam inter se rationem habuerint, circulorũ duorum quorumcunq; æquatori parallelorum, circumferentiæ, eandem rationem habebunt, & earundem velocitates, in diurno Totius motu: Hoc tu ad planetas & stellas fixas trãsfer, diurnorum arcuum respectu. &c. Circumferẽtiæ autem eam inter se habent rationem, quam ipsorum Diametri Circulorum.

LXI.

PEriodos quascũq; videmus NATVRAE præpotentis inuiolabili lege, à cœlestibus ipsis absolui corporibus, maxima cum diligentia, à nobis animaduertendas asserimus: PERIODVM hoc loco vocamus, planetæ, stellæ fixæ, vel alicuius cœlestis puncti, ad priorem locum vel priori valde similem, per circularem motum, completam restitutionem. Tempúsq; quod interea fluit, huiuscemodi Conuersionis, Periodum nominamus.

LXII.

LXII.

A Natura omnes hos illustriores recipimus circulos: Horizontem, Meridianum, Æquatorem, & illi parallelos omnes: Eclipticam: Eccentricos planetarum: Epicyclos, & alios, quos ex Theoricis planetarum, Astronomicisq; Canonibus, accuratè discendos, monemus.

LXIII.

CIrculi omnes, Positionum (vulgariter sic dicti) sunt circuli naturaliter definiti: Cũ omnes illi quorundam aliorum locorum sint horizontes veri: etiamsi infiniti tales, inter horizontem tuum & meridianum statuerentur. At quò propius versus mundi polos accedis, Naturam vides quasi pedetentim istos recusare: duasq; tãtum ex tribus illis generalissimis, Cœlestia Themata describendi vijs, sibi sub polis assumere: vt & sub æquatore duas præcipue admittit: in locis autem intermedijs, tres: per meridianos scilicet circulos, eclipticæ longitudinem ad rectos secãtes angulos: & per istos horizõtales: licet infinitis alijs modis, Natura, suarum distinguat virium proprietates.

LXIIII.

PEriodus æquatoris, est alicuius in æquatore, vel alterius puncti cœlestis, ad eundem meridianum, restitutio: viginti quatuor æqualium horarum spatio, per motum Totius diurnum,

absoluta. Hæc autem omnium cœlestium periodorum, est simplicissima, sibiq; semper æqualis.

LXV.

Dies naturalis, siue periodus Solis diurna, est tempus quod fluit, dum per Totius motum diurnum, Solis centrum ad eundum reducitur meridianum: Ista quidem periodus, valde inæqualis existit longitudinis.

LXVI.

Annus tropicus solaris, est tempus periodicum, quo Sol, per proprium suum motum, ad eundem eclipticę summæ locum restituitur. Huius magnitudo hac nostra ætate, obseruata est, dierum esse 365, horarum 5, & scrupulorum primorum 55, secundorum autem, ferè 20. Mutabilem etiam huius esse longitudinem, obseruationes excellentium Mathematicorum exactissimæ, demonstrant.

LXVII.

Annus Solaris siderius, est tēpus periodicum quod labitur interea dum Sol per propriū motum suum, ad eandem stellam fixam redit: vel ad æqualem prorsus distantiam (secundū eclipticæ longitudinem) ab eadem stella fixa. Cuius magnitudinem, Thebites, Choræ filius, inuenit dierum naturalium 365, horarum 6, scrupulorum

rum primorum 9, secundorum autem 20. Copernicus autem aliquanto maiorem, hoc nostro seculo esse, demonstrauit: per 20 circiter secunda, scilicet.

LXVIII.

LVnares periodos veras, tũ ad eandem eclipticæ longitudinem, tum ad Solis coniunctionem, exacta ratione per numeros examinatas, pro quocunq; dato tempore, habeas. Sunt enim inæquales valdè.

LXIX.

PEriodus Lunæ diurna, siue dies Lunaris, est per motum Totius diurnum, lunaris centri ad eundem meridianum restitutio perfecta: singulis penè diebus, hęc, suam mutat quantitatem. Similes etiam reliquorum planetarum restitutiones ad eundem meridianum, considerantes, easdem appellabimus eorundem Dies: videlicet vel Saturni, vel Iouis, vel Martis, vel Veneris, vel Mercurij. Fixarum stellarum tardissimus motus, diei vnius spatio, parum exhibebit discriminis inter suam & Æquatoris diurnam periodum.

LXX.

VT Luminariũ secundũ eclipticam, ita reliquorũ quinq; planetarũ omnes, quas verè & naturaliter cõficiunt periodos, tibi omni tẽpore

 perpendendas

perpendendas commendamus, tam in eccentricis, quam in epicyclis suis, per proprios suos motus. Simplices quidem per se (quantum potes) vt distinguas, cõpositas item seorsim, monentes.

LXXI.

VT Lunæ periodicas cum sole coitiones obseruamus, ita & cuiusque planetæ reditũ ad alium tardiori affectum motu (vero quidem & proprio) quàm is est, cuius restitutionem periodicã consideramus, maxima diligentia notandum significamus.

LXXII.

VT motus ille, qui est æquatoris proprius, omnium cœlestium motuum est velocissimus; ita planetarum omnium periodi diurnæ, sunt omnium quas verè conficiunt, breuissimo transactæ tempore.

LXXIII.

EX cœlestium corporum Imitatione, quæ in inferioribus regulari aliqua & ordinata fieri ratione cernitur, sinceræ veritatis amantes, studioseque experientes, clarissimè elicere possent, quæ res, vel tota, vel in sui aliqua parte, cui planetæ, fixæ, vel plurium stellarũ colligationi subijciatur maximè: ita vt ille planeta, stella fixa vel plurium stellarum colligatio, huius rei vel effectus, præcipuus & quasi proprius Significator

(astrologorum

astrologorum vt vtamur phrasi) possit censeri. Istam autem Imitationẽ varijs posse modis fieri, cuiuis constare credo philosophanti. Non me ergo est vel in Motu solo, Forma vel Figura, sed in alijs etiam proprietatibus & qualitatibus, hāc obseruari velle putandum.

Consectarium. 1.

MAgus proinde industrius, Microcosmi Analogis stellaturis, ita Signata, applicando, Harmoniam experiretur maximam. Quæ enim Vni Tertio cõueniunt, & inter se conuenientiam habere necesse est.

Consectarium. 2.

HOrum ergò Trium, duobus quibuscũq; notis, quale quærendum est Tertium, constare potest. Horumq; Trium Anatomiæ, singulorum propriæ, sunt in reliquis duobus: Sed modo quidem diuerso, scilicet Cœlesti, Terrestri, vel Microcosmico. Exempli gratia, Solem, Aurum, & Cor hominis, tibi proponimus ex Anatomię Magicæ consideranda Legibus.

LXXIIII.

IN qua significatione aliquis planeta, stella fixa, plurium stellarum commixtio, vel cœli locus, præcipuè excellit, ad illum Significatorem, omnes reliqui tum planetæ tum fixæ, in illa quidem significatione comparari debent: vt quid vel au-

xiliij, vel impedimẽti ab illis recipiat in sui muneris administratione, artificiosa eliciatur indagine.

LXXV.

1 QVòd Fixarũ mutua interualla, ex omni temporis æternitate nunquam sunt mutata, huius elementaris mundi illis rebus, quæ & sui etiam status constantem valde retinent conditionem, istas maximè præesse demonstrat. Cùm ta-
2 men, & istæ, Motu quodam (scilicet tardissimo) secundum Eclipticę longitudinem versus orientem, tam ferantur vniformiter, ac si omnes vno eodemq́ agerentur spiritu, hoc quidem & maximarum nostrarum rerum, seu illarum quas iam, è nostris, maximè constantes, suiq́ similes maximè, iudicamus, mutationes, vicissitudinesq́ fieri
3 significat. Istarum deniq́ per Diurnum Totius motum, Circunductio: ad totam illam cœlestem constantemq́ Harmoniam, ex omnibus stellis fixis resultãtem, qua sibi mutuò sunt colligatę (quę etiam rerũ omnium quasi Forma Prima existit) toti elementari regno, & totam cuilibet eiusdem particulæ, per principales partim suos radios, partim per accidẽtarios, abundãtissimo quidem modo impertiendam, (ita ordinante Totius beneficentissimo & Sapientissimo Opifice) est instituta. Et hoc ni esset, Nullum, ne vno quidẽ die (naturaliter) præseruaretur Indiuiduum.

LXXVI.

LXXVI.

VT Motus Fixarũ proprius, generaliter nobis demonſtrat, eaſdem talium effectuum eſſe cauſas, qui longo temporis curſu incrementa atq; alterationes ſuſcipiant ſuas: Sic pro naturæ proprietate, quę duabus quibuſcũq; vel pluribus fixis (tàm ex ſenſibili earum radio, quàm ex virtute ſpecifica) ineſt, ipſius naturam euentus, qui à duabus, vel pluribus ſtellis fixis efficitur, ſignificaturúe propriè, diuerſam eſſe, eſt neceſſe.

77.

AGens debile, vt actionis fortioris ſpecimen edat, quàm Agens ſimpliciter æſtimatũ fortius, ſępè vſuuenit: & hoc, aliquãdo propter diuerſitatem Subiectorum, (in quæ agunt) in diſpoſitione ſua natiua, ſiue artificioſa: aliquãdo autem, propter alias cauſas. Hoc maximè norũt, qui Artis Sanctæ Limina Salutârunt. Quod ritè enim Septies eſt Separatũ, Præparatũ eſt, vt Septies quoq; Coniungatur: ad celeberrimam illam philoſophorum Gamæam conficiendam. Hoc (Dei Nutu) שִׁבְעָתָיִם Dauidicũ, eſſe, aſſere- יב:
re audeo: quod ita nobis Dualiter expreſsũ eſt.

LXXVIII.

NOn eſt ergò mirum, fixarum Stellarũ, quaſdam, quæ inter illas minimæ iudicantur, annis ſingulis certas atq; ſenſibiles in aëre & alijs rebus, effectus producere: Tùm quòd illæ (licet à

nobis maximè distent) terra plus octodecim vicibus maiores existant: tum etiam, vel quòd materiæ, in quam agunt, aptissimam inueniunt dispositionem: vel quòd ab aliquo planeta, earundem corroborati radij, viuaciores quasi, firmioresque in terram torquentur: vel ab accommodatissimo aliquo του περιέχοντος ad stellarum exprimendas vires loco, adiutę, tam exiguo temporis interuallo, suarum repetant virium effectiones. Quid de illis ergò fixis cogitare debemus, quarũ aliæ totum terrestrem globum sua mole trigesies, aliæ quinquagesies quater, aliæ septuagesies, aliæ octuagesies excedunt? Sed illarum (te quęso) quæ terræ soliditatem, centies septiesque sua complectuntur magnitudine, quantam credere debemus esse efficientiã? Ab omnibus ergò omnium ordinum fixis, diuinissima per cœlum distributis harmonia, quantam quasi diuinitatem simul in terras deriuari censendum?

LXXIX.

SI ex Diei naturalis tempore, deducatur vna æquatoris periodus, residuumque tempus in æquatoris partes resoluatur, clarissimè apparebit quanta æquatoris portio, versus occasum, verè naturaliterque, (præter suã integram periodum) intra vnius diei naturalis spacium, per ascensiones (Rectas, nominatas) promoueatur. Atque hęc est vera & propria demonstratio, illius vtilissimæ

mę ac admirabilis Astrologicę Praxeos, quę cõmuniter DIRECTIO appellatur DIVRNA.

LXXX.

QVando illum Æquatoris progressum Directorium, quolibet die naturali, secundum ascensiones Solaris loci rectas, examinaueris, tunc vnà etiam totius cœlestis Machinę, alium quemcunque libet, contuere locum: cuius quanta sit facta promotio Directoria, super vel meridianũ circulum, vel horizontalem, tali loco accommodatum, interea temporis, dum illam principalem, in Solis loco metimur, diligenter annotabis. Directorij autem motus quantitatem, nunc per ascensiones vel rectas vel obliquas, definimus.

LXXXI.

EX Die Lunari, subtrahas Æquatoris periodũ, & quãtum, illo modo, in die vna Lunari, cuncta cœlestia loca, pro ratione suarum vel rectarũ vel obliquarum ascensionum, Directoriè (vt ita dicam) protrudantur, clarum euadet.

LXXXII.

PEriodus Horizontalis Diurna, planetæ, stellæue fixæ, est tẽpus quod fluit, dum illorum centra per motũ Totius Diurnum, ad eundem restituuntur horizontalem circulum.

LXXXIII.

EX Horizontali Solis vel Lunę periodo, vnam

æquatoris periodum ſubtrahe: reſiduum, illam æquatoris portionem monſtrabit, quæ (præter vnam ſui integram reuolutionē) verſus occaſum, talis periodi ſpatio, Directoriè promouetur.

LXXXIIII.

Licet Solis & Lunæ, generaliſſimæ fuerint & clariſſimę vires, in hoc Directionū artificio, Reliquorum tamen quinq; planetarum (maximè in eorum proprijs ſignificationibus) & Fixarū, multiplices efficientiæ, ſimili debent obſeruari diſciplina: tam in eorum diurnis ad meridianos reuerſionibus, quàm ad horizontales quoſcunq; circulos. Nullis autem nos, alijs quàm veris, nūc vti ſtellarum motibus memineris. Caueant ergò qui vel ſingulis diurnis planetarū Directionibus vel annuis (de quibus alibi agemus) certam, eandemq; præſcribunt vel graduum vel minutorum quantitatem.

LXXXV.

Periodi diurnæ quinq; planetarum, quādo retrogrado feruntur motu, æquatoris periodo ſunt minores. Vnde per iſtos, tum æquatorem, tū alia ſingula mobilia cœli loca, verſus orientem poſtponi eſt neceſſe. Hancq; æquatoris periodi anticipationem, Veteres, Directionem conuerſam appellabant. Hanc autem tam ad Meridianos quàm etiam Horizontes referri, non eſt neceſſe pluribus docere; aut ex æquatoris periodo,

retropedantium periodos diurnas quascunq;, auferri debere, cùm satis per se sint clara.

LXXXVI.

EX IOVIS periodis diurnis, ad æquatoris periodos comparatis, vera patet & physica demõstratio Directionis cuiusdam, ab Antiquis, PROFECTIONIS ANNVAE, nuncupatæ: In qua, cœlestia nonnulla loca, per vnum circiter Dodecatemoriũ, versus occasum promoueri tradunt. Verùm, si vel Profectionis istius partes, ad Iouis verum diurnum motum: vel ipsam annuam Profectionem integram, ad Iouis verum motũ in vno anno Solari, referre velis (vt Natura te facere vrgebit) clarissimè tunc cernes, nec directo semper modo ista dirigi: nec eandem esse (singulis annis) graduũ multitudinem, quæ vel super meridianos, vel horizontes varios, pro ratione Iouialis motus veri, integræ Profectioni annuæ respondet: Deniq; non solùm quinq; vel quindecim loca ita considerari posse aut debere, sed infinita ferè, tam planetarum scilicet, quàm fixarum. &c.

LXXXVII.

QVomodo DIRECTVS Planetę motus, nõ solũ ad eiusdem maiorem supra nostrũ Horizontem exhibẽdam Moram, confert, esse perpendendũ: sed qua etiam ratione, intra suam Diurnam periodũ, Harmonicam illam æquatoris

 periodum

periodum complecti, eundem facit: & ad præcipuũ suum deniq; munus conficiendum (secũdum Eclipticę scilicet Longitudinẽ) multò reddit habiliorem, significamus. PLANETAS ergò, cursu DIRECTO progredientes, generaliter iudicare fortiores, fortunioq; quodã affectos, non est à ratione alienum. Vnde motu Latos VELOCI, certissimũ est, plus tũ habere fortitudinis, suasq; tum foelicius peragere significationes. Quandò cum planetarum veloci cursu, etiam concurrit eorundem ad terram propinquitas maior, ex Theoricis constare tibi potest.

LXXXVIII.

PLaneta RETROGRADVS, Naturæ constãs decretum quodam modo perfringere videtur: periodum suam diurnam breuiori absoluẽdo tempore, quàm ipse Æquator: cuius motus, eò quod citatissimus est, sibiq; semper æqualis, Temporis fit nobis norma. Secundò, cum ex generali Naturæ instituto, Cœlestia cũcta, in motus diurni ratione, primum sequi Mobile deberent, Retrogradus autem iste planeta, (quasi sibi commissis habenis) suo nisu, primo Mobili aliquam huius sui muneris particulam præripere videtur. Tertiò, ex Diurna sua quaq; periodo, aliquam illius vniuersalis Harmoniæ particulam excludit: & post aliquot elapsos dies, notabilem Totius portionem, versus ortum repulisse videbitur:

bitur: quandamq; magnã æquatori Iniuriam intulisse: cùm ille, versus occasum, perpetuò rotari debeat. Quintò, pertinax iste planeta, munus suum proprium, præcipuumq; deserere videtur. Propria enim cuiusq; planetæ periodus, versus ortum absolui debet. Sextò, opportunitatem illam qua ad suas fortius exercendas vires, vti poterat, (ob moram supra nostrum horizontem maiorẽ) recusare iudicabitur. Nec Solem igitur, neque Lunam (omnium corporearum creaturarum præstantissimas, mundoq; elementari beneficentissimas, immò rerum hîc omnium quasi Parentes) istis implicari retropedationibus, voluit Deus. Neq; reliquos quidẽ: nisi ad breue quoddam tempus (si ad integras eorũ periodos, illud conferas) tali vti tergiuersatione, patitur. Verùm nullo cum NATVRAE VNIVERSALIS incommodo, hoc ab istis patratur. Non magis quàm acerrimæ illæ infinitarum penè rerũ Antipathiæ, NATVRAE VNIVERSALIS statum vllo modo labefactant: quin ad gratissimum potius ornatum egregiè faciunt: & ad NATVRAE perpetuandam incolumitatem, conducunt vel maximè. EX RETROGRADATIONE tamen, particularis aliquis effectus (quem scilicet talis planeta in se receperat perficiendum) interim non promouetur, sed quasi retroagitur: Factaq; Infecta fieri videntur. At quis est, qui hæc,

tum in Politicis, tum œconomicis negotijs esse necessaria, summeq́ interdum vtilia, nõ cernat: Satiusq́ esse recurrere (vt dicitur) quàm malè currere: Iuuat ergò interdum planeta retrogradus, licet non directo ordine, sed quasi fortuitò, & ex abrupto: & in contraria ferè significatione.

89.

PLanetæ in maximis suis à Terra distãtijs (circa sua scilicet Apogæa versãtes) in rebus quarum tunc fuerint proprij Significatores, fortius magnificentiúsq́ suas exercẽt vires, quàm in eisdem faciunt, quãdo Terræ, circa sua nimirũ Perigæa, proximi feruntur. Contrà autem, in alijs sibi subiectis rebus, viuacius efficaciúsq́ operantur, in sua maxima ad Terrã propiquitate, quàm in eisdem operari possunt, quãdo à Terra, quàm queant longissimè distant. Huius Aphorismi demonstratio ex 41, 43, 73, 77, & alijs prius explicatis aphorismis, maximum suum & lumen & robur habet. Vt ergò in eadem, rerum per eundem planetam significatarũ, specie, distinctè exactéq́ iudicium proferas, loca maximarum & minimarum à Terra distãtiarum, pro vnoquoq́ planeta, sint tibi prius nota. Per artificium autem Catoptricum, quinq́ planetarum Aliquem, (idq́ paucorum dierum Spacio) longissimè à TERRA distare facies: Et denuò (ictu ferè oculi) ad Perigæum, quasi Nouum, deducere possis. Quosdam me

me olim legisse memini, in Sole Lunaq; idem fuisse expertos opus. Sed vidẽtes, ἰφξύνιξαν ἴθυν. &c.

90.

QVoniam Solis non est semper æqualis potẽtia, nec eadem significandi ratio: singulorũq; etiam planetarum sint distinctę significationes, ac aliæ alięq; eorundem fiant vires, non debet idem de vniuscuiusq; planetę COMBVSTIONE, pronuntiari Iudiciũ. Licet autem Solis excellentissima fuerit & potẽtissima virtus, nõ tamẽ semper lędet, dũ alium planetã COMBVRERE Astrologi dicũt. Fieri quidem potest, vt ille, Cõbusti planetæ naturã ad amplitudinem quãdam & magnificentiam euehat: eiusdem omne ius, in suas vires trãsferẽs. Sed dũ lędit, varia est ratio. Ex Graduationũ regulis, de quibus suprà, aphorismo 19, egimus, quid sit omni tẽpore de tali Cõbustione statuendũ (quantum ad sensibilium radiorum operationem) simplicibus semel definitis planetarum naturis, clarissimè depromi potest.

XCI.

NVllus est terrestris globi locus, quem Sol, Saturnus, Iupiter, Mars, aut stella fixa quęcũq;, nõ illustrat suo directo sensibiliq; radio, spatio vnius suarum diurnarũ periodorũ, dũ sub Æquatore, secundum sua vera ferantur loca. Maximum igitur est huius loci priuilegium: ex quo, tantillo tempore, totus terræ orbis sensibilibus directisq;

horum radijs illuminari, foueriq́ possit.

92.

DVę quęcunq́ stellę, in locis ANTISCIIS secundum æquales, & in eandem mūdi partem declinationes positæ, ęquales supra eundem horizontem verum, acquirunt moras. Et in æqualibus ab eodem Meridiano distantijs, omnes suæ radiosæ incidentiæ angulos, ęquales facient. Vnde per motum Totius diurnum, suis radijs, istæ stellę, Terrestre quodcunq́ corpus, per mutuas vices ita inuoluūt, implicantq́, ac si, eiusdem, illis esset similis commissa cura. Ex natura ergo ita cooperantium stellarum, & interualli earundem schematici, siue aschematici ratione, qualis ab eisdem, in (notæ constitutionis) proposito corpore, sit generaliter expectandus effectus, inueniri potest.

XCIII.

LIcet cœlestis cuiusq́ Circuli, æquatori paralleli, pars illa, quæ sub Meridiano alicuius loci extiterit, (ex omnibus illius paralleli partibus) cum eius loci horizonte vero, incidentiæ angulum faciat maximum: Tamē Eclipticæ illa pars solùm quæ ab horizonte Nonagesima fuerit, altissimè semper supra horizontem eleuabitur. Hanc autem nonagesimam partem rarissimè in Sphæra obliqua, at in Sphæra recta semper

sub

sub Meridiano inueniri, cuiuis, vel mediocriter in Astronomicis versato, notissimum esse scio. Hinc in locis, quorum Vertices inter æquatorē & Mundi polos fuerint, illa Eclipticæ pars, quæ sub Meridiano, quocūq; proposito tempore reperitur, Cor cœli, appellari cæpta est: Nonagesima autem pars ab ascendente loco, Domus decima.

XCIIII.

STellæ omnes, vt sunt Luminis participes, ita (præter suorum insensibilium radiorum & specificas suas vires) caloris cuiusdam sunt efficientes causæ.

95.

VT SOL singula cœlestia corpora, sua superat magnitudine, Sic cœlestis Luminis quasi fons perennis ac immensus est: calorisq; nobis sensibilis, ac vitalis, præcipuus effector.

XCVI.

ILlum Calorem, quem Solis radiosi Coni tota Basis (ipso tunc Sole, in sui circuli Perigæo, & in minima Eccentricitate versante) in illud terrenæ Superficiei naturale punctum, quod tum sui radiosi coni vertex fuerit, tum etiam cui Sol perpendiculariter imminet, efficiendo exercet, (Doctrinę huius nostræ illustrandæ gratia) esse potentiæ cuiusdam, instar Sexaginta, siue Centū graduum, ponere solemus.

XCVII.

NOn poteſt ergò nobis ignotum eſſe, quantō calore ſuo proprio, aliud quodcunq; terreni globi punctum, cui SOL in quouis alio ſui Circuli loco, perpendiculariter imminere poteſt, afficiet: reſpectu illius ſui maximi caloris.

XCVIII.

ET qui Solis ſibi impendentis calorem, in aliqua conuenienti materia aptè experiri nouerit, Is, non ſecundum proportionem ſolùm, ſed etiam ſecundum rei veritatem, intelliget, quãtum calorem omni alteri puncto terreſtri, cui imminere poteſt, impertiet.

XCIX.

DAta proportione inter duos caloris gradus, quos Sol in duobus diuerſis ſui Circuli locis, in terrena loca, illi perpẽdiculariter ſubiecta, exercet: Si, quocunq; dato tempore, (lucente nobis Sole) per aliquod artificium noſtrũ, à nobis ſenſibiliter excitari poteſt Calor, qui vni dictorũ fuerit æqualis, poſſibile eſt etiam, per artificiũ & induſtriam noſtram, vel eodem momento, vel alio quocunq; (Lucente Sole), talem caloris gradũ ſenſibiliter excitari, qui illi alteri ſit æqualis. Ad quantã autẽ diſtãtiam, hîc nõ eſt explicãdi locus.

C.

PEr hos eoſdem Canones, accuratius examina,

quantum

quantum reliqui planetę, à Solis virtute calefactiua deficiant, ratione basium suarum Conicarum, respectu alicuius puncti terrestris, cui perpendiculariter imminere possint, in minimis eorundẽ à centro terræ, distantijs. Istorum bases & distãtias, ad Solis basim & distãtiam comparabis: & Calores ab istis procreatos intelliges. HOC tamẽ memoria tu semper teneas firma: vnumquemq; Planetam, ex sui proprij corporis ratione, sensibilem aliam qualitatem, generali caloris comiscere virtuti. Et qualis illa fuerit, non in omnibus solùm planetis, sed stellis etiam fixis, (Si 53 aphorismum experiaris) per Lunam expiscari potes: & alijs etiam vijs.

CI.

VArietas Lunaris caloris, in quodcunq; cui perpendiculariter imminere potest punctum, per Solis etiam canones cognosci potest. Scilicet, si non solùm eius, à terra distantiam, sed suæ etiam illuminatę partis conuexæ, quæ ad terram conuertitur, quantitatem, (instar ipsarum conicarum basium in alijs planetis) quocunque proposito tempore examinemus. Non tam aptè tamen Lunares sese (ad operandum) coadiuuare radios, in Corniculari eius figura, quàm cùm ad orbicularem magis accedat, Cauti & diligentis Astrologi iudicio, relinquo considerandum: vt & alia in istis Aphorismis multa.

CII.

VT LVX & MOTVS sunt cœlestiũ corporum maximè propria, ita inter planetas, SOL, LVCE propria omnes alios superat: & LVNA, proprij MOTVS pernicitate, reliquos omnes vincit. Hi ergo duo, omnium planetarum excellentissimi, meritò censentur.

103.

LVNA, potentissima est humidarũ rerũ moderatrix: humiditatisq; excitatrix & effectrix.

104.

VT Solis excellentem LVCEM, præcipuũ vitalis caloris moderamen comitatur: ita cũ LVNAE MOTV, mira quadam analogia, coniuncta est eius vis, humiditatis effectiua & moderatrix.

105.

LVNA quò terræ propinquior, & proprio motu, quò fertur velociori, eò suum in res humidas, potentius exercet dominium.

106.

SOLEM & Lunam omniũ in elemẽtali mundo nascentium & viuentium, tum procreationis tum conseruationis, pręcipuas (post Deum) & verè physicas esse causas, ex his fit manifestissimũ. Per Calidũ enim & Humidũ, πάντα συγκρίνεται καὶ αὔξεται, (vt philosophi nostri verbis vtar).

Ista

Ista enim duo solùm, γονιμὰ sunt.

107.

ANni constitutionem generalem, ex quolibet certè die, per quãdam analogiam, esse demõstratam videmus. Habet enim quilibet Dies naturalis, suum, tum ver, tum Æstatem, tũ Autumnum, tum Hyemem. Ex solo ergò Solis calore, per se partim, partim per accidens, omnes primæ produci possunt qualitates, & necessario ordine. In quibus, si principia, media, finesq́ statuamus, Duodenarij cuiusdam rationem cernemus. Et pulchrum est considerare, quo modo tandem sub ipsis Mundi polis, ipse Annus est nisi instar Diei vnius naturalis. Aphorismum istum ad altiora traducas, & maximum Secretũ habes, Tu, qui Trinitatis in vnitate, mysteria tractas physica: & ad Noctis multicoloris Nigredine, Opus inuoluendum tuum, anhelas.

CVIII.

VIginti sex diuersas habitudines, quæ inter fixa sidera & Solem esse possunt, pro diuerso istorum & Solis in quatuor Angulis positu, ad alios etiam planetas trãsfer: maximè ad Lunam. Sicq́ consurgẽt, ex omnibus planetis, cum stellis fixis, hoc modo comparatis, 182 diuersæ rationes cõsiderandę. Ex magnę cõstructionis Ptolomęi, libro octauo, has disces ad Solẽ habitudines.

CIX.

COrporis imperfectio, proxima & maximè propria Mortis physicæ causa est, non Anima. Mortis ergo naturalis, causa quoque naturalis: Ex Naturæ igitur generalibus Gubernatoribus, generaliter pẽdet & pręsignificatur. In Humano certè genere, Nemo vltimum sibi a Deo præfinitum viuendi Terminũ pręterire potest: Negligẽtia autem, paucissimi illũ attingũt: Duplices vnde cõstat humanæ vitæ esse Terminos.

CX.

ANima humana, & Forma vniuscuiusq; rei specifica, multò & plures & præstantiores virtutes, operationésq; habet, quàm vel ipsũ Corpus, vel eiusdem rei Materia.

CXI.

INsensibiles, Intelligibilésue planetarum radij, ad eorum sensibiles, sunt instar Animę cuiusdã ad suum Corpus.

CXII.

SIderum quædam, eatenus MALEFICA aliquando vocantur, quatenus eorundem vires in corruptã Naturam, vel malè dispositam Materiam immittuntur: (Hoc nos docente Aphorismo Septimo) Ipsa enim Sidera, per se, nihil operantur mali.

CXIII.

OMnium rerum in mũdo elementari existentium,

tium, quæcunque fuerit diuersitas naturalis, ea ex duabus præcipuè procedit causis: scilicet ex Materiarum diuersitate, & varia stellicorum radiorum operatione.

CXIIII.

OMnis res, quantumcunq; exigua, in mundo elementorum existens, totius cœlestis Harmoniæ est Effectus: siue Exemplū quoddam & Imago. At in quibusdam rebus, hoc clarius quàm in aliјs apparet.

CXV.

EX ANALOGIA corporum cœlestiū, tam in seipsis, variè consideratorum, quàm inter se mutuò comparatorum: & illorū omologa semper, in isto Elementorum regno, (ex arte à nobis suprà tradita) accuratè secernendo, amplissimam tu tibi viam, ad perfectam Astrologiæ sapientiam, sternes.

CXVI.

QVoniam Septem planetæ, 120 diuersas Coniunctiones nobis exhibere possunt, (scilicet dum bini coniunguntur, 21: dum terni, 35: dum quaterni 35: dum quini 21, & dum seni, 7: & dum omnes simul copulantur, 1) verissimeq; summus dictet philosoph⁹, quòd ἐν αὐταῖς κεῖται ἡ γνῶσις τῶν γινομένων ἐν τῷ κόσμῳ, τῆς γενέσεως καὶ τῆς φθορᾶς: Circa illas 120 Coniunctiones, generalissimam hanc nos proponimus Methodum. Quan-

do solùm duo ex septem, copulantur, 21 variæ esse possunt coniunctiones: & in illarum singulis, quis duorum planetarũ fuerit fortior, considerari debet. Ex duorum ergo coniunctione, 42 diuersæ oriũtur considerationes: Eademq; ratione, ex triũ corporali coniunctione, 210: ex quatuor, 840: ex quinq;, 2520: ex sex, 5040: & ex septem, 5040 variæ cõsiderationes prouenire possunt. Qui omnes considerationum modi, fiunt 13692: qui tantũ ex corporalibus planetarũ coniũctionibus pendent: eorum etiam viribus, generalissimè tantùm, & nõ ad certos gradus (vnde innumeræ ferè myriades, considerationum variarum, procrearentur) suppositis esse inæqualibus.

CXVIII.

PEnitius Naturæ virtutes introspicientes, eorumq; etiam, quæ superius, clarissimè varijsq; modis, confirmauimus, satis memores, circa vnãquamq; mundi rem, omnium septem planetarũ radios, secretioris influentiæ, aut sensibiles principales vel accidentarios, omni tempore concurrere, commisceriq;, certissimum esse asserimus: perpetuamq; horum omnium, in rebus mundi omnibus (effectuum certè naturalium ratione, licet non secundum ipsorum vera in Cœlo loca) manere coniunctionem. Vnde si inæquales semper eorũ essent vires, Natura 5040 modis varijs generalissimis, eorũ posset dispensare operationes,

nes, quantùm ad virium differẽtias. Verùm, si interdum duos, æqualibus fortitudinis numeris affici, interdum tres, interdum quatuor, interdum quinque, interdum sex, & interdum omnes (licet rarissimè) consideremus: æqualitatemque istam vel in supremo vel infimo, vel intermedijs posse inueniri gradibus: varios inde modos, per methodum prius explicatam, eliciemus 20295: quibus si iũgamus inęqualitatis absolutę modos 5040, consurgent modi 25335, generalissimi quidem: in quibus per Graduationũ regulas, philosopho est dignissimum exerceri: vtilitatem enim reportabit, & voluptatem immensam. Et quò istorum duorum Aphorismorum veritatem, rationemque Logisticam intelligas, praxeos nostræ quandam formulam tibi proponemus, in multis alijs etiam rebus vtilissimam. Facileque poterit industrius artifex, hanc Methodum ad infinitatem quandam extendere: & non pati in Septenario solùm consistere numero.

Praxeos Formula.

Pro Aphorismo CXVI. | Pro Aphorismo CXVII.

1		1	0	0	0	7	5040
2		2	21	42	2	6	15120
3		6	35	210	3	5	4200
4		24	35	840	4	4	840
5		120	21	2520	5	3	120
6		720	7	5040	6	2	14
7		5040	1	5040	7	0	1
				13692			25335
Planetæ inæqualis fortitudinis coniũcti corp.		Transpositiones secundum inæqualitatis generalia discrimina.	Varietates coniunctionum binorũ, ternorũ, &c.	Coniunctionum variarum per coniunctorum numerum transpositum, Multiplicationes.	Planetæ æqualis fortitudinis coniuncti.	Inæqualitas, ex æqualitate, producta.	Æqualitates secundum coniunctiones variatæ: & inæqualitatis (ex æqualitate profectæ) transpositione, considerationum rationes variæ.

Quoniam ratio constructionis secundæ partis istius tabellę difficilior videri possit: vt studiosi in hac re aliquãtulum iuuentur, exemplo adhibito, eandem explicabo. Si bini planetæ tantùm (ex septem) ęqualis statuantur esse fortitudinis: inde inter

inter omnium fortitudines, sex generalissimę habebuntur differentiæ: (vt ex quinta & sexta columna patet) At per tertiam columnam, binaria coniunctio inter septem planetas, 21 varijs modis, alia aliaq; esse potest: Et per secundam columnam, planetarum sex inęquales fortitudines, 720 modis diuersis considerari possunt. Multiplico igitur 720 per 21, & prodeunt 15120. quem numerum in vltimæ columnæ secundo descendente loco inuenies: Eadem est operandi ratio, cùm tres, quatuor, quinq;, vel sex, æquali supponantur esse præditi fortitudine: Deniq; ad ampliorem huius rei explicationem, en tibi breuissimam operis formulam.

Planetæ æquali præditi fortitudine.	2 ——— 21		Coniunctiones variæ ex binis planetis.
		Multip.	
Fortitudinum inæqualitates.	6 ——— 720		Transpositiones inæqualitatis in senario numero.
Productum.	15120		

CXVIII.

CVm in anni alicuius Solaris Reuolutione, alterius planetæ periodi notabilioris principio, vel quocunq; alio tempore, fortis aliqua & rara in cœlo fuerit vel planetarum inter se, vel planetarum cum fixis, configuratio: vel Phænomenum invsitatum Meteorologicum, Per totum terrę orbem astronomicè Circumspice, Quis ter-

restris

restris locus fortissimam propriamq; cœli figuram, in quocunq; velis significato, talis configurationis, Apparitionísue primæ momento, obtineat, vel obtinere possit. Hinc enim non solùm à stellarum, aliorumq; cœlestium, & Sublimium naturis, euẽtus illius Loci proprios maximè, sed ab euẽtibus egregijs Locorum terrę particularium, proprias planetarum, fixarúmue & aliorum cœlestium, Sublimiumq; eliciendi naturas, modus datur insignis, secretúsq;. Hinc etiam Sapiẽs, (modò Cosmopolites esse possit) nobilissimam Scientiam haurire potest: siue de prosperis procurandis, siue remouẽdis noxijs: vel econtra: tam sibi quàm alijs. Locorum terrestrium Opportunitas, tanti est momenti.

Annotatio.

* *Sic illos Circumspexisse Magos est verisimile, qui olim dixerunt,* STELLAM EIVS VIDIMVS IN ORIENTE.

CXIX.

Χωρὶς τῆσ κοσμικῆσ συμπαθείασ, τοῖσ ἀνθρώποισ ὀυδ'ὲν ἐπιγίνεται: vt nos Mercurius ille Termaximus docuit.

120.

IΚανὰ τὰ ΘΕῖΑ, καὶ ἡ τούτων περιφορὰ, τὴν ἐν τῷ κόσμῳ τῶν φυσικῶσ γινομένων, Συνέχειαν φυλάσσειν.

SOLI DEO HONOR ET GLORIA.



IN TERNARIO CONQVIESCENS.

Excuſum Londini apud Re-
ginaldum Vuolfium, Regiæ Maieſt.
in Latinis Typographum.

ANNO DOMINI M.D.LXVIII.
Ianuarij, 9.